

# QUÆSTIO 7

## PHYSIOLOGICA

PRO PRIMA APOLLINARI  
Laureâ Consequendâ.

Quam in celeberrimo Mouspeliensium Medicorum Lycaeo publice propugnabit SAMUEL BLANQUET Marologiensis apud Gabalos, Artium Liberalium Magister, jamdudum Medicinæ Studiosus, nec-non Universitatis Consiliarius, ab horâ octavâ admeridiem. Die mensis Decembris 1711.


PRESIDE ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

**PETRO MAGNOL**

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Mouspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

*An venenum Tarantulae, Scorpionis, Viperae, &  
Canis Rabidi, Primario Spiritus  
Animales Inficiat.*



MONSPELII,

Apud HONORATUM PECH, Regis & Uni-  
versitatis Typographum. 1711.



Q U A E S T I O

P H Y S I O L O G I C A

T R O P I C A A P O L I T A N A

L A U R I C O N S E C R A T A

Quaestio in qua de motu et actione  
corporum in Tropica Apollinaria  
tractatur. Auctore Lauri Consecrata  
M.D.C.LXXV. Editio prima.

P R E F A T I O

P E T R O M A G N O

Præfatio ad Lectorem  
Petri Magni in Tropica Apollinaria  
tractatum.

S E C U N D A C O N S E C R A T I O

De motu et actione corporum  
in Tropica Apollinaria.

W. J. ...  
Honoratus ...





# Q U Æ S T I O

## PHYSIOLOGICA.

*An Venenum Tarantule , Scorpionis , Viperae ,  
& Canis Rabidi , Primario Spiritus  
Animales Inficiat.*



A M ardua tamque difficilis est Veneni naturæ cognitio , ut non mirum sit si tam antiquorum quam recentiorum Doctrina ad eam investigandam parum luminis nobis attulerit : Tentabimus nos post tot celeberrimos viros aliquid proferre in Medium quod quamvis vites nostras Excedere noverimus in magnis tamen aliquid tentasse sat erit.

I.

**V** E N E N U M est corpus quod corpus nostrum subiens naturam ejus alterat & destruit , hoc autem modo citius , modo tardius se prodit , modo vehementiora , mitiora modo symptomata accersit pro diversa ejus naturâ aut quantitate aut pro diverso ægri temperamento.



Ex triplici familiâ deducuntur venena ex mineralibus scilicet vegetabilibus & animalibus, vario autem modo corpus nostrorum subeunt, vel per os qualia sunt arsenicum, auri pigmentum aliaque plura ex mineralibus quæ sæpe etiam per aëra volitantia atque una cum inspirato aëre pulmones subeuntia massam sanguinis inficiunt ut evenit in peste, febre malignâ, morbisque aliis Epidemice grassantibus; inter vegetabilia numerantur aconitum, sicuta &c. vel per morsum aut puncturam cujusdam venenati animalis immediate miscentur sanguini & spiritibus, ut venenum Tarantulæ, Scorpionis, Viperæ, & Canis rabidi.

Facile intellectu est per omnes hæc vias posse venenata corpuscula machinam nostram subingredi ac ejus œconomiam penitus disturbare, ac diruere: alia siquidem stomachum & intestina exulcerant ac erodunt, inflammationes producunt, & hæc corrosiva nuncupantur, alia simul cum chilo sanguinis massam subeuntia, coagulant acidis suis particulis & hæc frigida audiunt, alia denique sanguinem in vehementem motum adigunt, & hæc calida vocantur.

Quæ per vulnus aut per respirationem subeunt venenata corpuscula, eodem modo poterunt massam sanguinis inficere; nec negavo a pravo usu sex rerum non naturalium ea posse in sanguine salia produci quæ aut aciditate sua nimiâ, aut acritudine, aut crassitie, aut volatilitate eadem poterunt accersere symptomata ut constat ex practicorum observationibus qui



restantur se vidisse hydrophobos absque prævio  
morsu canis, præterea ab humorum corrupte-  
lâ, febris maligna producitur quæ cum Vipera  
morsu magnam habet analogiam.

Non tamen ea omnia venena dicentur quæ ali-  
quantulam in massâ sanguineâ aut aliis humo-  
ribus mutationem inferre poterunt licet pra-  
vam, alioquin & alimenta ipsa venena forent  
cum iis si prave utamur pravequoque afficia-  
mur: sed per venena intelligimus corpora illa  
quæ lethifera ex naturâ sua evadunt. Cum au-  
tem infinita sit propemodum nocivorum ho-  
rumce corporum soboles infinitus erit etiam  
agendi modus, alia siquidem crassioribus, alia  
tenuioribus, alia magis acidis aut acribus cor-  
pusculis conflantur, hinc ut supra innuimus  
mitius hæc, sævius illa vires suas exerunt. Sed  
in hoc primo doctrinæ nostræ quantulæcumque  
tentamine hæc omnia complecti non solum ar-  
duum esset, sed nobis etiam impossibile, unde  
cum satis perpenderit quid ferre recusarent  
quid valerent humeri, mihi grande satis onus  
esse impositum sum arbitratus si omissis quæ  
ex vegetabilium ac mineralium familiâ dudu-  
cuntur venenis intra minores cancellos morarer  
satis ergo erit de Tarantulæ, Scorpionis, Vi-  
peræ & canis rabidi venenis agere.

I I

**P**LURES ac celeberrimi quidem auctores in  
disquirendâ venenorum ex animalibus natu-  
râ multum insudarunt; ac de iis diverse sen-  
tiunt, alii siquidem acidum, alii alcalinum virus



illud statuentibus; unde hi sanguinem coagulare alii dissolvere acerrime contendunt sed ut clarius res innotescat de unoquoque horumce animalium pauca sigillatim expendamus.

Tarantula est Aranæ species glandis magnitudinem æmulans, nascitur in calidissimis apuliæ campis: hujus quoque varix distinguntur species alia enim subalbida est, alia subabra, alia octo, alia quatuor alia duos tantum oculos habet, octo gaudet cruribus hinc inde ad latera dispositis quæ triplici distinguntur internodio. Per hiemen in cavernulis subterraneis absque cibo degit, ubi autem sol terras calore concoquere incipit exit ex specubus. Quo infentior est calor eo quasi in majorem furorem adacta velocius in messorum aut viatorum irriuit, aut dum amoris igniculis percita coitum meditatatur.

Solâ æstate periculosum est venenum Tarantulæ, neque enim si hieme mordeat quidquam sævi affert, præterea si è calidissimis apuliæ regionibus alias asportetur nullatenus venenum ejus nocivum est. Ergo in sale quodam volatili ac summopere exaltato positum est venenum Tarantulæ: quo enim major est calor eo magis exandescit sanguinis major ergo principiorum divisio, exaltatio, ac volatilifatio: præterea quis nescit ab amoris stimulo quasi incendio quodam totum efflagrare sanguinem; atqui vel per intentissimos æstatis calores, vel dum flammis amor animalculum illud depascitur infencissimum est ejus venenum, facile inde natura ejus eruitur.



Cum autem ea sit sanguinis Tarantulæ diathesis quid mirum si & reliqui humores ejus volatili sale illo luxurient, e sanguine enim omnes emanant nec tamen quandiu in animalculo illo degunt venenum dici possunt, sed tantum nociva sunt homini, qua tenuis spiritibus vitæ principio sunt infencissima.

Tarantulæ ergo saliva magnâ salis illius copiâ turgebit, si autem eveniat ut patrem aliquam corporis dentibus suis hoc insectum impetat, fiet solutio continui, vulnus salivâ illa suffundetur, quomodo autem ad spiritus ipsos deferatur infra explicabimus. Probabile quoque est in oris cavitate Tarantulæ hiare vesiculam quamdam mortifero illo veneno turgidam quæ dum dentes infigit virus effundit in partem; sed cum propter corporis tenuitatem illud oculatissimis etiam comperire non licuerit sufficiat quomocumque id evenire possit asserere ab ore Tarantulæ lhetiferum hocce venenum emanare vulnus inficere, & ad spiritus usque deferri.

An autem venenum illud acidum sit, an alkalinum non facile est explorare quis enim comperiat ad quæ salia eudenda vergat sanguinis ejus fermentatio. Probabilius tamen est alkalinum esse virus illud, ab omni siquidem ingenti fermentatione ita attenuantur ac disrumpuntur acida ut in alkalinas particulas degenerent: præterea ita ignis vi quasi destruantur salia acida ut nulla prorsus extrahi possint e corporibus in quibus inesse certum est, ut patet ex sanguinis humani analysi. Restat ergo ut dicamus



ignis calore aboleri acida , ac alkalinam formam induere. Quæ cum ista se habeant & in tarantula admittatur ingens sanguinis fermentio , & perconsequens calor summe intensus facile inde concluditur ingenti volatilium Alkalium copia humores ejus conflare.

Illud Ergo maneat inconcursum venenum Tarantulæ positum esse in sale alkalino volatili quod ad spiritus usque serpens eos ita inficit ut machinam penitus eruat ac evertat.

De Scorpionis veneno idem fere esto iudicium , in illis saltem regionibus ubi intencissimi sunt æstatis calores putâ in apulia aut in quibusdam affricæ regionibus ubi magnâ copiâ gignuntur venenosa illa animalcula nec minus eos afficiunt quos pungere contigit.

Magnitudine longe exuperat eos quos in istâ provinciâ cervimus , in extremo autem caudæ articulo enata est vesicula liquore subalbido turgida , qui ipsius venenum est , atque in vulnus effunditur dum in partem aculeum insigit Scorpium. mortiferum est venenum Scorpionum qui in calidis hisce regionibus procreantur , & eosdem fere ac venenum Tarantulæ casus accersit. Qui autem ibi gignuntur minus nocivum venenum emittunt , supervenit tantum partis tumor quasi œdematosus qui brevi solventibus remediis tollitur. Qua autem ratione ita inter se differant duo hæc venena ex eo certe peti debet quod in apuliâ aut affricâ ubi sol terras quasi exurit , exaltata magis ac volatiliora sint horumce insectorum recrementa & perconse-



quens venenum eorum majori longe energiâ pollet ac spiritus inficiendo scævius agit.

Vipera autem est de genere serpentum sic dicta quia vivos foetus edit. In eo à reliquis Serpentibus differt quod numquam in magnam molem excreſcat, aut si præ manibus cauda arripiatur ita ut caput ejus pronum in terram pendeat non adeo contorqueri potest ut sustinentem manum impetat aut brachio implicetur. Duos habet dentes in maxilla sitos aliis multo longiores, in quorum gingiva reperitur vesicula quædam liquore subflavo plena, qui a multis Viperae venenum creditur. Alii, è contra in solis spiritibus a Vipera dum ira ardet summavi emissis consistere asserunt; quem hac inre audiamus? Istum consule, liquor ille vulneri canis affusus nil mali affert, alter vero eosdem ac si Vipera morderet casus accersere contendit, unde illa opinionum dissentio, an in aliis regionibus mortiferum in aliis ne nocivum quidem statuemus? Nequaquam: in galliâ enim perinde ac ac apud Italos lætalis est Viperae morsus, sed ita res concilianda. Venenum Viperae in succo illo statuendum arbitramur, in Italia autem cum calores sint intentiores salia quibus liquor ille subflavus turget magis exaltata sunt & volatilia, unde si vulneri affundatur liquor, ad spiritus usque Serpent salia, in galliâ autem ubi mitius cœlum est, salia in succo illo quasi languent nisi ira ita humorem illum exagitet ut exaltentur, quod accidit dum Vipera mordet.

Nec etsi pars aliquantum intumescat putantur



dum est Viperæ venenum esse acidum quod humores coagulet, sed id potius refundendum est in spiritus qui ob morsus dolorem magna copia huc influentes sanguifera vasa aliquatenus comprimunt, unde præpedito sanguinis circuitu fit partis tumor. Nil quoque obstat quin crassiora veneni salia in quibusdam vasis hæreant, liberumque sanguinis præpediant motum.

De Viperæ veneno idem sentiendum, ac de veneno Tarantulæ aut Scorpionis positum esse scilicet, in sale alkalino volatili spiritibus maxime infenso: atque pro nobis militant rationes omnes quibus probatum est sic constitutum esse venenum Tarantulæ. Vipera siquidem summa donatur pernicitate, quo magis furit, eo scævius venenum emitit, licet autem aliquid diversi in utriusque morsu eveniat, id diversæ salium moli aut motui est adscribendum mille enim statui possunt salium inter se proportionibus quæ quamvis ejusdem naturæ sint ita tamen per diversam molem aut motum agent, ut diversos penitus effectus præstent.

De naturâ autem ac indole veneni canis rabidi idem sentimus ac de aliis, illudque statuimus in sale alkalino volatili, quæ sententia & simplicior & phœnominis explicandis accommodatior; ad hypothesim autem nostram multa conferunt.

I<sup>o</sup> Rabie tenetur canis per calores urentis caniculæ ut summe ardet ejus sanguis vel per intensissima frigora quibus præpeditâ insensibilis transpirationis materiâ sanguis ejus in veh-



mentissimum motum agitur.

I I<sup>o</sup> Si irâ canis ardeat, aut diu verbéretur, fusteve provocetur rabidus fit, irâ enim ita excandescit sanguis ut in insolitum orgasmum rapiatur quibus omnibus probari facile potest principia ejus magis exaltari ac dividi.

Præterea constat hominis aliorumque animalium salivam acrem esse ex tinctura florum malvæ quam in viridem ex sebrubrâ mutat, quid ergo ita corruptam atque a statu naturali alienam esse dicamus, ut in acidam degeneret, nonne probabilius est salia acria naturalem salivam constituentia, ita per prædictas causas attenuari, ut e fixis volatilia fiant. Satis ergo, ut opinor, probatum est venenum Tarantulæ, Scorpionis, Viperæ, & canis rabidi statuendum esse in sale alkalino volatili: quod clarius innotescet dum infra per eam hypothese[m] symptomata[m] explicabuntur. Prius autem de spiritibus animalibus aliquid venit inquirendum, ut cognitâ eorum naturâ & usibus inde facilius perturbatos eorum motus dignoscamus.

### I I I

**S**PIRITUS animales sunt substantia illa tenuis quæ per glandulas cerebri corticales a sanguine per arterias delato separatur atque in communi quodam receptaculo emporium dicto quasi coacervantur ut diversis machinæ functionibus inserviant. Cujus autem naturæ sint id est an acida an alkalina cum id nemini comperire fas sit, varieque hac de re autores sentiant aut potius ariolentur licet cuilibet eam in



his indolem admitere quæ libuerit aut ad hypothefim explicandam probandamque aptior & accommodatior videbitur; unde acidus hi, alkalinos illi, sulfureos alii, & elasticos esse contendunt; nec falsi convinci aliquis eorum potest, cum propter tenuitatem oculorum aciem effugiant. Ego vero lubens crediderim eos esse alkalino sulfureos, atque a lymphæ admodum tenui, tanquam materia propria conflatos aut potius esse tenuiffimas ipsius lymphæ particulas in cerebro separatas.

Fit continuum quoddam commercium cerebrum inter & sanguinem sanguis enim continuo spiritus ad cerebrum devehit, spiritus autem in partes influentes rursus miscentur sanguini exceptis qui ad varios corporis motus edendos deperduntur; secus enim langueret sanguis spirituosâ illa parte depauperatus, torperent humores omnes alii ac penitus periret motus ille in quo & salus & vita hominis posita est. Spiritus enim sunt quasi humorum anima quæ eos exagitat movet, fovet: illud enim spirituum in eos imperium ut si torpeant spiritus, torpeant & ipsi, aut si debachentur & ipsi humores.

Spiritus sunt functionum animalium instrumentum, per eos enim moventur membra corporis, & ipsius sensus perficitur, unde si quacumque de causa præpediantur a cerebro influere in partes, perit motus, aut si à partibus refluerent ad cerebrum nequeant sensus aboletur. Quo majori copia influunt major fit motus, quo celerius refluit sensus est vividior; quod etiam petitur a diversa tentione fibrarum cere-



bri quæ vel segnius vel celerius moventur pro ut sunt flaccidæ aut tensæ, qua autem proportionem vibrantur eadem sensus obtusior aut exquisitior evadit. Eas enim corpus inter & animam leges sanxerunt rerum omnium creator & conservator deus, ut objecta sensibilia anima non percipiat nisi dependenter ab impressionibus in corpore factis, nec corpus moveatur nisi dependenter ab ideis in animâ excitatis; Ergo si invertatur naturalis spirituum motus, fient irregulares fibrarum cerebri succussiones, ergo prave judicabit anima de objectis, & hinc deliriorum omnium species; depravabuntur spontanei, & voluntarii corporis motus & hinc symptomata omnia quæ plurimos morbos comitantur, præsertim in veneno tentatis ubi præcipue inficiuntur spiritus.

Nervorum interna cavitas via est quâ spiritus a cerebro in partes & a partibus ad cerebrum continuo motu feruntur. Nervi autem a cerebro ducunt originem aut potius sunt ipsius cerebri substantia in nervos producta quam dura & pia meninx investiant. A majoribus ramis in minores dividuntur inde in fasciculos quasi distincti in omnes partes explicantur & expanduntur, ita ut nulla sit corporis pars quæ nervis careat ad quam non deferantur spiritus & e quibus non refluant ad cerebrum, hinc nulla quæ suo sensu privetur saltem in statu naturali.

Spiritus in emporio contenti continuo propelluntur in partes, vel a spiritibus qui in cerebro filtrantur ut clavus clavum trudit, vel ab



arteriarum pulsu, vel a motu meningum cerebrum aliquatenus comprimente, & in eo hospitantes spiritus in partes propellente, & hinc corporis motus spontanei qualis est motus cordis, pulmonum, intestinorum, aliarumque partium qui citra animæ voluntatem perficitur: vel ad nutum animæ diversis corporis partibus movendis influunt, & hinc voluntarii motus linguæ v. g. brachiorum, pedum, &c. Per motus illos varios instituitur commercium illud ad vitam necessarium. Si autem eveniat ut vel minori quam par est copia separentur spiritus tot edendis motibus erunt impares. Peribit motus aut imminuetur, peribit ergo machina aut multum detrimenti accipiet: si majori quam decet quantitate excernantur spiritus motus ultra modum adaugebitur & placidus humorum circuitus ita præceps agetur ut in sanguine mixta inter se confusaque principia per assueta colatoria amandari nequeant & hinc variarum functionum læsio. Vel si cum spiritibus in cerebro separentur materiæ ipsis hæterogeneæ simul lutam inibunt, effere movebuntur, citra ordinem influent, contra animæ voluntatem hinc inde debacchabuntur modo huc ingenti copia influent, mox pauci aut nulli non poterit anima inordinatos eorum motus regere, aut ferociam temperare, sed laxis habænis efferabuntur unde totius machinæ ruina ni brevi tumultuarius eorum motus compescatur. Si autem una cum spiritibus in cerebro transcolentur particulae quaedam ipsis ligandis ac quasi concatenandis aptæ



peribit motus spirituum aut imminuetur, peribunt ergo motus alii quibus edendis erant comparati.

#### I V.

**E**X cognitâ spirituum animalium naturâ eorumque usu explorato facile erit eruere symptomata omnia quæ humano corpori a venenatorum animalium morfu eveniunt; Neque enim arbitrandum vel minimam veneni guttulam subito posse in gentem sanguinis massam corrumpere quantæcumque sit energiæ, ut enim corpus in aliud agat debet esse proportio quædam agens inter & patiens, alioquin irrita est vis agentis; quis autem putet unius alteriusve diei spatio venenosum humorem illum quem animal in vulnus effundit sanguineum fluidum ita inficere, ut in aliam naturam mutare queat, præsertim cum per spirituum corruptelam ad omnia explicanda facilius proniorque pateat via.

Licet autem experimentis comperiatur sanguinem aut inspissari, aut dissolvi id in spirituum vitium est refundendum, non in virus ipsum immediate agens in sanguinem, inspissatur autem sanguis ex eo quod spiritus pauci in eum influant unde languet & segnius circulatur aut fermentescit, idem dereliquis dicendum humoribus qui a sanguinis vitio vitium quoque contrahunt.

Quâ autem viâ venenum illud a vulnere ad cerebrum usque feratur explicare non est arduum, fit enim solutio continui, rumpuntur vasa, virus miscetur sanguini, atque una ad ce-



rebrum delatum, ibi cum spiritibus separatur. Ex hac autem miscelâ fit coagulum quoddam spirituum cum veneno, utrumque enim alkalinum est: ut ex commixtione olei tartari per deliquium cum lixivâ capitis mortui salis armoniaci exurgit coagulum ita durum ut ceræ mollioris consistentiam pœne æmuletur; atquæ tamen alkalinum est oleum tartari, alkalina lixivâ illa salis armoniaci ut patet ex tincturâ florum Aluæ quam è rubra viridem efficiunt: quid ergo obstat animales spiritus alkalinos unâ cum alkali animalium veneno in emporio sibi mutuo occurrentia coagulum ibi efformare, atque ex hoc quam facile symptomata omnia deducantur nemo non videt.

Unde enim tristitia illa, mœror, taciturnitas nisi a torpidis spiritibus aliquas tantum cerebri fibras succutientibus, unde ille cordis angor, palpitatio, spirandi difficultas nisi ab imminuta spirituum copiâ in nervos cardiacos aut intercostales, vel a sanguine ob spirituum defectum jam facto crassiori, unde anxietas, rigores, tormina illa intestinorum, diarrhæa, convulsivi motus facies pallida mox livido tincta colore, gemitus, aliaque plura quæ sigillatim expendere immensi mihi laboris esset & vobis tœdii. Anxietas a sanguine crasso variis in partibus hærente, partesque illas divellente, hinc varii in cerebrum spirituum refluxus, varii ergo influxus in partes. Rigores aut a sanguine in vasis capillaribus quasi subito congelato, aut a sero per distinctas vasorum tunicas clapso

&



& membranas pungente, ac irritante, intestinorum tormina à crassioribus mucis intestinalis salibus tunicam eorum exquisitissimo sensu donatam quasi errodentibus. Diarrhæa à laxatis glandularum sphincteribus seroque majori copia à sanguine inspissato per illas glandulas excreto, vel à pravis digestionibus ob alteratum stomachi fermentum perperam celebratis: Ex eodem fonte debent vomitus, & cardialgia repeti à crassioribus enim alimentorum particulis laceffitur, & irritatur interior ventriculi tunica atque ad vomitum æger promovetur. Convulsivi motus ab immunibus quibusdam à coagulo spiritibus innordinate in partes influentibus. Facies fit pallida ab imminuto sanguinis motu fermentationis, mox livida ab eodem in vultus vasis moram trahente. Gemitus à variis excitatis doloribus ob variis in partibus factas divulsiones gemitus enim est doloris indicium atque hoc quasi aliquantulum sublevatur.

Atque hæc sunt quæ primis à morfu diebus ægros infestant mala, & brevi è vitâ tollerent nisi oportuna remedia præberentur, à varia autem venenorum indole aut energia fit ut hæc citius hæc tardius agant; possunt etiam ita in parte aliquâ hære aut in ipso sanguine ita intricari ut diu lateant quin aliquid sævi præsentent, ut sæpe observatum est in illis qui à rabido cave erant demorfi. Inde alia catervatim ruunt symptomata. Tarentati mille se torquent modis; hi jacent in feretro, aut in luto volutantur, illi amant ex arborum ramis pendere



quibus se mox pedibus mox manibus implicant, alios hic illos alter color delectat, hic ridet, flet alter, saltat alter aut cantat; quod est melancholiæ species; ita enim à torpidis in cerebro spiritibus quasi cavata sunt quædam vestigia ut difficile ab his ad alias fibras evocentur. Quos autem canis venenum infecit ululant, latrant, rabidi fiunt, dentibus obvios quosque, & se ipsos sæpe impetunt; per coagulum enim illud ita sanguis sero est depauperatus ut rigidæ admodum evadant cerebri fibrillæ, & spiritus crassiores, unde magnæ in eas impressiones, inde nocivorum corporum excitatæ ideæ: & hæc est mania species sævissima: præterea à repetita sæpius cavis imagine ita profunde insculpta est, in se canes esse putent, hinc omnes canis actiones edunt latrant, ululant, linguam obducunt, &c.

Liquidi autem horror sæpius aut fere semper rabiei caninæ conjunctus provenit à crassioribus salivæ salibus quæ si aquâ diluantur atque agantur in motum fibrillas linguæ nerveas ita divellunt, ut molestissimam sensationem inducant; cui suum quoque symbolum præstat fibrillarum cerebri siccitas, & rigiditas quæ vel à mediocri impressione ita succutiuntur ac vibrantur ut innocua corpora tanquam nociva repræsentent quæ à nobis dentibus etiam remove conamur, hinc furor ille & rabies qua obvios quosque impetimus: tanta est etiam in perturbatissimo mentis statu sui ipsius amor & conservandi cura.



**D**ignoscitur morsus aut punctura venenatorum animalium ab inspectione partis. Morsus tarantulæ non absimilis puncturæ apis, aut acûs ac subito demorsa pars circulo livido circumscribitur. Mordet vipera & exigua tantum aparet solutio continui ob dentium exilitatem, dentes canis infigit, & vulnus satis amplum efficit. An autem canis rabidus fuerit nec ne facile est comperire: cum enim rabidus est cibum potumque refugit, oculos habet inflammatos, caudam inter crura demissam, linguam obducit, os copiosa saliva irrigatur, huc atque illuc vagatur sine ordine. Hunc videas modo celeriter ruere, modo subito consistere, primum terram spectare, nulloque edito latratu obvios quosque impetere sive homines seu bruta sint; interdum lapides lignaque cedere. Sed ex sævis quæ demorsum hominem invadunt symptomatis misere ipse experitur an canis vere fuerit rabie tentatus.

Per varia differunt inter se venena animalium soli tarentati variis indulgent coloribus, viperæ morsum comitatur icterus, canis venenum hydrophobia subsequitur hoc mitius, hoc infentius est, illud citius, aliud tardius agit.

Periculosissima semper debet institui eorum prognosis brevi enim veneni vis ægrum enecat nisi succuratur. Venenum tarantulæ nunquam penitus erruitur aut debellatur, sed quotannis recrudescit ac nisi singulis quoque annis eadem adhibeantur remedia æger infensissime torquetur, ac



sepæ extremum obit diem. Canis rabidi venenum læthale est ubi rabies invasit: observatum est à quibusdam practicis illud quoque periodice recurrere ut testatur hildanus de matrona quadam quæ per triginta annos quolibet septennio veneni recrudescentiam patiebatur. Non minus periculosum est viperæ venenum, per illud enim ita quasi congelantur spiritus sanguisque adeo crassus evadit (quod constat ex summa illa ad somnum propensione) ut functionibus obeundis impar sit certa enim sanguinis fluiditas ac spirituum motus ad vitam requiritur, qui si præpediatur extinguatur flamma vitalis.

Ut autem hæc quantum fieri poterit præcaveantur promptiora adhibeantur remedia. Pars cingulo arctissimo liganda ne intra sanguinem venenum admissum cum ipso per circulationis motum ad cerebrum usque feratur. Scarificanda quoque est ut una cum effuso sanguine venenum quoque effluat.

*Ni facias sevum serpens per membra venenum  
Sanguinea effusum massa secreta subiret*

*Pectora, pestisque hæc sensim convelleret artus.*

Concurbitulæ sunt applicandæ ut cum sanguine aliisque humoribus virus foras trudatur. Vulneri aut alium contusum, aut theriaca est applicanda: cum enim in iis lateant corpuscula summa vi ac motu donata spiritus & sanguinem in majorem motum adigunt.

In genere conveniunt cardiaca, alkalina, sudorifica, & quidquid potest languescentem humorum motum adaugere. Specifica tamen sunt



cuiuslibet horum se venenorum remedia. Tarantulæ, ac scorpionis venenum musico instrumento compescitur quod qua ratione fiat non facile est explorare.

Baglivius musicæ vim refert ad aeris percussiones vividas quibus torpentes spiritus exsuscitantur ac alacriores quasi redduntur. Vvillisius asserit æffrenatos spirituum motus ita musicæ amœnitate demulceri ut ipsorum cohibeantur habentæ ac placido tranquilloque motui restituantur. Ea enim est in hominum mentes vis musicæ ut illâ vel ad voluptatem resolvantur, vel ad virtutem incitentur, hæc audaces, hæc pios, hæc tristes, hæc hilares efficit ita ut persæpe ad musici instrumenti sonum sponte membra moveamus ad numerum, & ita delinimentis canticis capimur ut nullum sit tam asperum, tam immitte pectus quod non talium oblectamentorum teneatur affectu. Hinc Orphæi & Amphionis Fabula quorum alter animalia, alter saxa quoque trahere cantibus ferebatur duxit originem: quia primi forte gentes, vel sine rationis cultu barbaras, vel saxi instar nullo affectu mobiles ad voluptatis sensum canendo traxerunt. Ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, ut dent somnos adimantque, curas immittant, & retrahant, iram suggerant, clementiam suadeant.

Sed hæc medico naturæ investiganti motus & arcana non faciunt satis; inquirendum ergo qua ratione ita musici soni agant in spiritus ut eorum quasi vincula disrumpant.



A musicis instrumentis citissime movetur aër ac vibratur ad tympanum usque, vibrantur successive ossicula illa in auris cavitate sita, ita ut motus transferatur usque ad nervum acusticum dictum, vivide succutitur nervus ergo & spiritus in ipso hospitantes qui magnâ celeritate ad cerebrum usque propulsi variè succutiunt spiritus in emporio contentos qui à torpidis liberiores facti quasi in tripudium aguntur, inde varias in partes influxus præsertim in crura ac pedes, ita ut qui prius tanquam semi-mortuus humi jacebat audito musici instrumenti sono paulatim membra moveat, in pedes elevetur, tibias ac crura flectat ad numerum. Per varios illos motus sanguis fit fluidior copiosiores cerebro spiritus ministrat à veneni vinculis liberantur emporii hospites inde cessant symptomata omnia à coagulo spirituum ortum ducentia. Venenum autem per sudores partim foras truditur aut in divertis corporis partibus hæret donec per pravum victum, aut per aliam quamcumque causam rursus in motum agatur ut in febris intermitentibus morbisque aliis periodice recurrenribus evenit.

De apuliæ Africæve scorpionibus idem dicendum cum enim virus eorum eadem producat symptomata iisdemquoque remediis curatur ut asserit Baglivius. Quod ad viperæ venenum pertinet etsi specificum nullum remedium adhiberi posse credatur. Attamen præter pulverem ex ipsius corpore factum aut juscula ex ejus carne condita ac sal volatile per chemicam analysim extractum feliciori cum successu à nostratibus adhibetur de-



coctum ex planta quæ brunella seu prunella, aut symphitum petræum dicitur.

Venenum autem canis rabidi extinguit balneum aquæ marinæ cum autem aqua illa conferta sit salibus falsis humoribus majorem motum conciliare aptis, irretitos atque implicatos spiritus à compedibus extricat. Præterea serum quo per coagulum depauperatus erat sanguis ipsi suppeditat, ubiores gignuntur spiritus qui in sociorum quasi auxilium vocati ab infensissimo hoste liberant & sic morbi causam tollunt.

Cum autem dictis pateat in iis affectibus præcipue convenire cardiaca, spirituosæ & quidquid potest imminutum spirituum aliorumque humorum motum adaugere jure concludo.

### ERGO

*Venenum tarantula scorpionis vipera & canis  
rabidi primario spiritus animales  
inficere.*





D. D.

SAMUELI BLANQUET  
*Bacchalaureatum adepturo.*

TU novum pugnae genus ecce misces,  
Indolem caecam referas veneni,  
Et modos tristes quibus hoc cruorem  
Inficit omnem.

Nec malo tanto renuis medelam,  
Unde profluxit male-sana labes,  
Efficax morbo medicamen illi  
Inde tulisti.


Tu domas Anguem, viridem Cicutam,  
Colchicum fervens, gelidosque succos,  
Atque debellas genus insalubris  
Omne veneni.

Ergo pugnantium metuenda tela,  
Hostium & jactas fugies sagittas,  
Et repercussos habilis domabis  
Tutior ictus.

Certa stat laurus tibi militanti,  
Saucius si sis, modo sanus; illi  
Vulneri semper fuit elegans vox  
Antidotum ingens.

*Retulis grati animi significatione*  
JOSEPHUS FABRE *Alpensis*  
*apud Gallo-Propvinciales, D. M. M.*






E I D E M.

S Acratas laurus doctorum insignia, fronti  
Primi conatus promeruere tuæ.  
Talis enim sermo, sunt talia pondera rerum ;  
Ut princeps artis non neget esse sua.  
Gratulor ergò tibi, cupiens, ut digna laboris  
Per multos possis præmia ferre dies.

*Accinuit amicitia numquam intermoritura  
gratiâ JACOBUS ROCHEVALIER  
Marologiensis apud Gabalos, D.M.M.*



# A U T O R I

IN TRACTATUM EJUS

DE VENENIS.

O D E.

**Q**uot immerentes Vipera morfibus  
Letho dicarit! quot rabidus canis!  
Quot scorpionis cauda! notum est:  
Abdita semper erit facultas,

Quâ, sana poto viscera Toxicò,  
Læsâ aut furentis dente canis cute,  
Repentè languent, & tabescunt;  
Fallor: eam docet hic LIBELLUS.

HÆC te manebat gloria: res sacro,  
BLANQUETE! tectas involucro tuis  
Nudare scriptis, quæ Nepotes  
Assiduis relegent ocellis.

JOANNES BOÜILLET *Servianensis,*  
*Monpeliensis Medecina Universitatis*  
*Baccalaureus & Consiliarins.*





Ornatissimo, eruditissimoque

D. D.

SAMUELI BLANQUET,  
*Thesim de venenorum natura ab  
se eleganter scriptam, editamque  
propugnatur, & primam Apolli-  
narem Lauream adepturo.*

EPISTOLA.

**N**Omen grande paras, BLANQUET, mage  
Lyncæus Argo,

Dum tua luci edis scripta linenda cedro.

Augmentum Medicina tuum est; dicere vene-  
nûm

Doctor; & antidotûm jure Repertor eris.

Insiciant diræ nunc poculâ plena Novercæ;

Non sunt Privignis hæc nocitura suis.

Obscænæ invigilent nigros efferre maritos;

Nil sibi Pæoniâ proderit arte dolus.

Arma gerant hostes stygiis intincta venenis;

Illinc lethifero vulnere nemo cadet.

Afferat ipsa licèt terros Medea saporos;

Invito Medico non sopor ullus erit.

Vulneret incautos irato vipera dente;

Hinc Libitina sibi præmia nulla feret.



Eruçtet gremio virosos terra vapores ;  
Nequaquam ferient corpora nostra nece.  
Jam facile est notas mortis prævertere causas :  
Notis jam antidotis toxica franget homo.  
Nemo quidem poterat subtilia nosse venena,  
Quàm qui subtili præditus ingenio est.  
Non fuit herbarum olim tanta potentia Circes ;  
BLANQUETE, auxiliis quanta futura tuis.  
Perseus Andromeden monstri abstulit ore marini ;  
Tu letho humanum præripis omne genus.  
Oedipus ænigma exsolvit, Sphingemque necavit ;  
Tu referas, cohibes, quæ mage Sphinge nocent.  
Hactenùs Oedipodâ : BLANQUETO opus :  
inde loquentur,  
Ardua cum fuerint comperienda sibi.  
Quæ mala Pandoræ incubuere ex pixide terris ;  
AUREUS ISTE TUUS dissipat illa LIBER.  
Hæc sata Vulcano est, Dîs exculca, ab Jove missa ;  
Fecit te, SAMUEL, misit & ipse Deus.  
Fabula Pandora est, non fabula turba malorum ;  
Tu verus Medicus pharmaca vera doces.  
Cernitur in factis, dictis, scriptisque venustas  
Tanta ; ut sis patriæ lausque decusque tuæ.  
Perge celer, propera quò pugnæ te rapit ardor ;  
Obveniet capiti Laurea justa tuo.  
Sæpè tuis sociis clypeum permittit Apollo,  
Verùm Marte tuo fortia bella geres.  
Omnia quod vincit, vincis tamen ipse venenum ;  
Te-ne dehinc fortis vincere quis poterit ?

*Hæc amico suo cecinit LUDOVICUS RIMBAL,  
Mimatensis apud Gabalos M. stud.*





**E I D E M.**

**D** Ignus sagacis natus Apollinis.  
Ædes parentis permeat intimas  
Pugnam laturus, mox triumphum,  
Namque sequax honor est decusque.


Signum favoris vos date plausibus  
Æqui magistri, spontè scientiam,  
Ultrà probastis, vimque sæpe  
Ingenii stupuistis altam.

O Phæbe! natus non tibi degener;  
Facundus inter numina cælitum  
Stas ipse, terris hic disertus,  
Nam ambrosiâ satur esse suevit.

Jam perge constans, non tibi sufficit  
Vicisse; major gloria te manet;  
Mox corpus ægrum, mensque læsa  
Eloquio benè sana fient.

*Cecinit in perpetuum amicitia monumentum,*  
**ANTONIUS-FRANCISCUS DE LA**  
**MESANGERE, Lud. apud And. M.S.**





**E I D E M.**

**I**nunc quò te prima vocant certamina Phæbi;  
Nec timeas, nam te gloria certa manet.  
Tu benè Phæbeâ, medicâque peritus in arte,  
Credo equidem, dudum favit Apollo tibi.

*Franc. piscis Brivatensis apud arvernos  
M. S.*



THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

ALBEMARLE

I have not time to write a full account of the  
the present, and the future of the  
to be a great, and a noble, and a  
of the world, and of the world.

ALBEMARLE

M.D.